



EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Archiepiscopus Cracoviensis*

1. Animadversiones particulares, quae hic proponuntur, veniunt a coetu Auditorum, qui expresse quaesierunt, ut eas in mea interventione scripto proponam.

Antequam tamen hoc faciam, velim adhuc mea ex parte animadvertere generaliter, quod cap. II magis insistit in ipsum culturae progressum quam in eius indolem fundamentalem. Sub hoc aspectu propositiones particulares, quae sequuntur, extollere intendunt hoc, quod in cultu humano fundamentale videtur, quod hominis relationem ad universitatem rerum intime tangit, simul etiam hominem in seipso tali modo ordinat, ut in relatione praedicta personalitatem propriam plenissime excolat.

Videtur mihi praeterea, quod notio cultus humani in schemate non respicit sufficienter illas culturae species, quae homini — etiam sic dicto « in culto » — propriae evadunt in via experientiae « prae-scientificae », specialiter quando haec cum rectitudine morali connectitur.

Haec omnia essentialiter appellant ad principium, quod in n. 42 (in parte I) optime propositum est, « quod homo magis valet propter id quod est quam propter id quod habet ». Hoc principium optime sensum cultus humani extollit, insufficienter tamen explicatur necnon applicatur in cap. II. Est autem principium omnino adaptatum nostris temporibus, cum hodie etiam in cultura tendentia ad utendum videtur praevalere tendentiae ad hominem perficiendum.

2. Animadversiones particulates illae sunt, quae sequuntur:

Pag. 52, lin. 2: addatur « praecipue » post « hoc est ».

Pag. 54, linn. 4-5: mutatur ordo: « accensus, in philosophiam necnon theologiam, atque varias scientiae artisque disciplinas incumbit ».

Pag. 54, lin. 38: post verbum « alligatur » addatur: « sed unamquamque culturam signo universalis apertioris ad omnes alias culturas ditat et omnes illas ad incessabilem progressum mutuamque aemulationem excitat ».

Pag. 55, lin. 19: post verbum « validissime » addatur: « imprimis fundamentali sapientiae succursu ».

Pag. 56, lin. 5: post verbum « deducatur » addatur: « Cum feminae nostris temporibus in fere omnibus navitatibus efficaciter iam laborent, non est hic obliviscendum specificum characterem atque valorem earum laboris in diversis campis vitae culturalis ante oculos ponere ».

Pag. 57, lin. 2: addatur a linea sequentia: « In omni humana educatione culturali maximi est momenti, ut ordo valorum integer servetur et ut fundamenta huius educationis non evertantur. In omni cultura, tam christiana quam non christiana, fundamentum hoc est sapientia, sive tantummodo na-



turalis, sive philosophica cum revelata coniuncta. Amissio illius sapientiae unum de maximis calamitatibus humani generis fieret. Ideo, Sacra Synodus gravibus verbis mundum admonet, salutem culturae humanae in sua totalitate ab hoc pendere, ut homines semper p[ro]e oculis habeant maximum momentum sapientiae, quae aliquo modo omnes scientias particulares exsuperat. Absque hac sapientia ordo veritatis, boni et pulchri non potest subsistere nec progredi. Magni proinde momenti est studium philosophiae entis, quae in contemplatione naturali rerum creatarum consistit atque in illis causam earum primam, scil. Deum, invenit.

Pag. 57, lin. 13: post verba « religionis rerum » addatur « cognitio et ».

Pag. 57, lin. 20: post verba « confert, et » ponantur « doctrina theologica ac ».

Pag. 57, lin. 37: post verba « esse cognoscatur » addantur: « Omnes autem fideles maxime ad instaurandum Regni Dei simulque ad promovendam culturam humanam contribuunt, cum perfectissime labore suum professionalem adimpleant, intime labore illum vocatione sua christiana uniendo ».

Pag. 57, lin. 41: post « philosophica inquisitio » ponantur: « quae tam potenti modo ad instaurandam culturam in diversis mundi partibus contribuit ».

## 36

### PLURES EXC.MI PP. CONCILIARES BRASILIENSES

#### A

1. *Observatio generalis super integro capite:* a) *quoad stylum:* nimis occidentalis adhuc videtur praesertim quando de condicionibus culturae humanae agit. Placuit 48 Patribus.

b) *quoad notionem culturae:* cum diversae sint notiones culturae oportet ut una seligatur et in toto schemate semper p[ro]e oculis habeatur. Placuit 47 Patribus.

c) *quoad versionem latinam:* latinitas magis consentanea exigentii terminologiae hodiernae, absque nimia praeoccupatione adhaesionis latinitati classicae desideratur. Placuit 48 Patribus.

2. N. 65, pag. 52, lin. 1: titulus numeri melius diceretur: « de cultura eiusque diversitate ». Placuit 47 Patribus.

3. N. 65, pag. 52, linn. 7-10: proponitur observatio: « in ostendenda diversitate rationum ex quibus diversae oriuntur condiciones vivendi et componendi bona vitae, non essent oblivious elementa geographicā, climatica nec non et haereditaria, quae suas quoque partes habent in humanae culturae diversitate. Ratio: ostenditur in ipsa observatione. Placuit 49 Patribus.

4. N. 65, pag. 52, lin. 13: post verba « communitati proprium » addatur: cultura vero non solum transmissione patrimonii acquisiti alitur, sed p[ro]ae-